XXXIV
BEVER

MARTINI AB HOLVBERVESO
RESPONSIO APOLOGETICA
Pro ſententia P. Hieronymi Florentinij
DE BAPTISMO ABORTIVORVM
aduerſus obiecta
D. Vigilantij ab Arce.



PISTORII.
Apud Petrum Antonium Fortunatum.

Superiorum permiſſu. 1662.

CVM P. Hieronymus Florentinius, Scriptionem tuam, D. Vigilanti, aduersus non minus piam quam celebrem, ac plausu omnium exceptam opinionem ipsius de Baptismo Abortiuorum, abortiuam, vt ipse ad scenam modestiæ dicis, ac ea satis ex vero testatur, mihi communicasset; statim subijt mirari, quemadmodum, nec iura amicitiæ quàm tàm insigniter violabas; nec tot innocentium lacrymæ, quos specie Religionis tanquam alter Herodes quærebas *ad perdendum*, manum tuam à scribendo non reuocauerint; & inter ipsa initia subsistere, ac hærere non coegerint. Illud verò persuadere mihi prorsus non potui, te tanto opinionis tuæ captum amore extitisse, vt, cum tàm palàm errares, tam clara luce offenderes, omnes adeò similes tui putaueris, vt neminem sensurum, neminem tibi tàm alto somno indormienti faces admoturum, neminem stylo vulneraturum, vt vel sic tandem expergisceréris, fueris arbitratus. Equidem primo aspectu sic exarsi, vt statim cum fortissimo Gedeone proclamauerim, hanc *Turrim esse destruendam*; cum iàm ex illa, quæ in propugnaculum veritatis & Pietatis stare putabatur, ad easdem oppugnandas tela mitterentur. Quoniam tamen Doctus Pater, duplici ratione id recusaret, tum quià opinionem suam se ipsa satis armatam, & tutam existimaret: tùm etiam quià abortiuum istum tuum, quemadmodũ ipse vocas, foetum, ad se pertinere minimè arbitraretur, cum ipse de abortiuis rationali anima præditis dubiè saltèm, disputet: ne hanc eius modestiam timiditatem interpreteris, & ex illius silentio supercilium tuum crescat, tanta præsertim cum veritatis iacturà, verborum tuorum nebulis oppressæ: ego, quamuis infirmi adhuc spiritus hanc arcem, non *suprà firmam petram, sed supra arenam* & stipulam erroris ædificatam, à quatuor angulis concutiendi partes mihi suscepi, prorsusque euertendi. Vt què magis te recognoscas, tua per vestigia errores persequar; & meliori omisso, eo quo texuisti, calumniæ tuæ telam, ordine retexam.

1 Omisso igitur, egregio tuo argumento, apocryphis Esdræ verbis subnixo, (vide vt in ipsà Opusculi tui fronte, oculis legentium obijcias quibus vel fundamentis solitus sis!) quo tanquam buccinà classicum pugnæ canis: *Omnis terra veritatem innocat, homo humus, filius ciuis; ergo veritatem inuocat.* vt obiectis tuis respondere exordiar.

2 In primis, vt aliquem colorem atræ bilis in P. Florentinium ab eo nihil læsus, euomendæ haberes, ais te in publico Parochorum consessu adductum necessitate disputationis, in quà quærebatur An puellæ prægnanti ob tuendam vitam, vel famam dari posset Pharmacum quo abortus procuraretur, verissimo sanè verbo te *cecidisse* (tanta est vis veritatis!) in celebrem distinctionem fœtus animati & inanimati (nec enim pertinebat ad rem illa distinctio, cum Quæreretur an etiam existente fœtu inanimato, posset dari puellæ huiusmodi potio.) ac indè paulatim prolapsum ad impugnandam opinionem de Baptismo Abortiuorum. Quà in re, benè inspectis quæstionis vtriusque limitibus, quis tam imperitus, ac tam iniquus existet arbiter, qui eos tàm longè positos non pronunciet, vt ex his in illos transiliendi nemo necessitatem, nisi quis fortasse necessitatis Doctor, sit agniturus? quid enim simile habent hæ duæ Theses, *Vtrum liceat puellæ pregnanti ad tuendam vitam vel famam dare pharmacum quo procuretur abortus, &, An ministrandus sit Baptismus fœtibus Abortiuis?* sed quandò ipse fateris te *cecidisse*, salutare damus consilium, vt in posterum caueas, & pedem serues, stabili ne, an lubrico loco ponas: quærasque alium fideliorem, qui, sic ipse ais, te *manuducat*, ne illud in te iactari possit, *si cæcus cæcum, ambo in foueam*.

3 Sed mitto quærere cecideris ne, an incideris, an lapſus fueris, an ſpontè inſilieris, an aliud quodcumque feceris; ipſa fundamenta aſſertionis tuæ, quàm ſolidè & altè fixa ſint, curioſius inues tigemus Et primò, adducis autoritatem Sacrorum Canonum, nempè *Cap. Sicut. de Homicidio, Cap. Quod verò, & Cap. Moyſes 32. q. 2.* de indè tranſcribis ex Gomezio illam opinionẽ quæ aſſerit fœtum maſculinũ quadrageſimo die à conceptu, fęminũ in verò octogeſimo animari. denique tertio loco praxim inducis, *à tota militanti Eccleſiâ* receptam.

4 Quod igitur attinet ad Sacros Canones, rogo in primis, quid nam ex Cap. Sicut de Homicidio poſſit in opinionem Patris Florentinij rectè concludi? ipſum proferamus in medium, & apertè videbimus quàm parùm vigilanter Dominus Vigilantius huiuſmodi teſtem produxerit. Conſultus enim Innocentius III. an quidam Presbyter qui per Zonam apprehenſa muliere pręgnante cauſam abortui præbuerat, ſuſpendendus eſſet ab altari, reſpondet, *Si non dum viuificatus erat conceptus miniſtrare poterit; alioquin debet ab altaris officio abſtinere.* num propterea Pontifex dicendo eſſe Irregularem eum qui fętum iam animatum abigendi extitit cauſa, definiuit tempus infuſionis animę in fętum? an potius, imitatus ipſum Deum *cap. 21. Exodi*, noluit circa huiuſmodi quæſtionem, quam magnam vocat *Aug. in Cap. Quod verò*, certum aliquid ſtatuere?

5 Iàm verò, *Caput Quod verò.* ex Auguſtino deſumptum, nihil adeò contrà P. Florentinium continet, vt etiam pro ipſo ſtare videatur. nam in primis S. Doctor, vt erat ingenio perſpicaciſſimo cum vim inexplicabilis difficultatis ſenſiſſet circà tempus infuſionis animę, teſtatur ſe rem in medio relinquere: *Quoniam inquit, magna de anima quæſtio non eſt præcipitanda indiſcuſſa temeritate ſententia.* cur igitur dubium teſtem pro certo aduocat D. Vigilantius? cur quod Auguſtinus diuino prędictus ingenio temerarium ac præceps definire iudicauit, id D. Vigilantius tantà confidentià tanquam ex Cathedrà ſtatuere non dubitauit? deinde illa verba, *Si ergo illud informe puerperũ iam quidem fuerit, ſed adhuc quodammodò informiter animatum*, non ne apertè fauent P. Florentinio? nonne rudibus adhuc & informibus puerperijs ineſſe animam poſſe indicat S. Doctor, quæ, quia non dum perfectè ſuas functiones in ipſis exerceat, idcircò dicantur informiter animata?

6 Fateor equidem Cap. Moyſes diſertiſſimis verbis aſſerere *animam non eſſe antè formam* hoc eſt antè corporis formationem. Sed quid de eo ſentiendum ſit, paulò infrà videbimus.

7 Licet autem D. Vigilantio daremus Canones loqui de Animatione Corporis perfectè formati, non tamen aliquid contrà P. Florentinium inferri poſſet; quià non ſtatuerunt quo nam tempore anima corpori infunderetur, id enim erat difficillimum ſcire, & hanc rem Medicorum ſi ebant eſſe, non Pontificum; ſed terminum quendam definierunt puniendi eos qui partus per vim & malas artes abegiſſent, & hanc voluerunt eſſe, quandò corpus iam eſſet formatum. cum enim legum ſeueritate coercẽda eſſet improbitas eorum, qui in partus adhuc in vtero matrum latentes inaudita crudelitate ſæuirent; & dubium alioqui eſſet, ob diuerſas Medicorum opiniones, ipſiuſque rei difficultatem, quo nam tempore fętibus anima infunderetur, meritò Legumlatores conſenſu, quoddam ſpatium definierunt, intrà quod etiam apud eos qui maximè infuſionem animę procraſtinant, nullum foret dubium, quin fętus viueret. Voluerunt namque Sapientiſſimi viri hac moderatione, pęnarum aſperitatem temperare; vt quoniam in tantà veri caligine clauſis oculis feriẽdum erat, ſaltem quam maximè à ſuſpicione crudelitatis abhorrerent: nec

homi-

homicidij damnandos censuerunt, de quibus dubitari poterat an hominem occidissent: ex vulgatissimâ Regulâ, *In dubio tutiorem partem sequendam.* Ex quâ regulâ firmatur opinio P. Florentinij. cum enim in dubio sit eligenda pars tutior, dubium autem sit quo nam tempore fœtus viuat, tutius verò sit baptizare quam non baptizare, manifestò consequitur sententiam P. Florentinij tutiorem esse, ac proindè etiam D. Vigilantio repugnante amplectendam.

8 Rursus, quoniam ex alia Regulâ, *pœna sunt restringenda beneficia verò amplianda*, ne libera facultas puniendi intra indefinitos terminos vagaretur; meritò Iura & Doctores certum quoddā spatium statuerunt, nempè quadragesimum, vel octogesimum diem, aut absolutā formationem & lineamenta membrorum: nimis enim odiosum fuisset eum tanquam homicidam punire, qui probabili ratione ab huius criminis suspicione posset defendi: At verò quoniam ministratio Baptismi, ex quâ pendet æterna paruulorum salus, est quiddam maximè fauorabile, quid mirum si P. Florentinius illam extendat ad totum illud spatium, intrà quod iure dubitari potest an partus viuant?

9 His igitur quæ spectant ad Iura Canonica expeditis, vrget D. Vigilantius celebri opinione afferente mares quadragesimo die, fœminas verò octogesimo animari; cuius autorem facit Aristotelem *l.* 7. *c.* 3. Histor. Animal. & Auicennam cap. 9. de Animal. Quâ in re mirum est, quam sit vetum scriptorū genus sequacissimū esse. vbi enim quis alicuius autoritatis opinionē induxit, vnum post alius defixo in terra capite, pergunt in venerabili parentum fide. Dico igitur primò hanc sententiam esse admodum peruulgatam apud antiquos; nam eam tradit Auctor Sermonum *ad Fratres in Eremo* qui tribuuntur S. Augustino, sed ipso teste D. Vigilantio ex Louaniensium censurâ suppostitij sunt, & adulterini: vbi asserit citans S. Cyprianum corpus formari in vtero, & die 47. animam à Deo creari & in illud infundi. deindè omnes ferè Interpretes *in cap.* 12. *Leuitici*, & Morales agentes de Abortu fœtus animati, vel inanimati, opinionem illam tanquam certam statuunt: quin imò Caramuel *Theol. Fundamental. n.* 636. putat ab eâ recedere nil aliud esse quam Theologiam Moralem perturbare. Verùm si quis requirat quonam fundamento nitatur hæc sententia, vel nullum, vel leue satis apparebit. Gomez allatus à D. Vigilantio autorem facit huius distinctionis de 40 & 80. die Aristotelem *l.* 7. *c.* 3. *de Hist. Animal. & Auicennam l.* 9. *c.* 3. *de Nat. Animal* sed apud nullum horum huiusmodi assertio reperitur nam Aristoteles eo loco tantummodò dicit, masculos vt plurimum incipere moueri in dextro latere circà diem quadragesimum, fœminas verò in sinistro circà nonagesimum: quod etiam tradit ijsdem verbis *Plinius l.* 7. *c.* 6. in multis Aristotelis transcriptor. aliud autem est tempus formationis & animationis, aliud motus, vt obseruat Corn. à Lapide *in c.* 12. *Leuitici.* Auicenna autem nihil tale habet quale ei affingitur: quin imò *l.* 16. *c.* 1. asserit fœtus ad summum 40. vel 53. die formatos esse, & alicubi etiam dicit eos animari tertio die à conceptu. At verò Interpretes Sacræ Scripturę ex eo colligunt hanc dierum distinctionem, quod Puerperis *in Leuitico c.* 12. si masculum peperissent 40. dierum separatio, si verò fęminam 80. præscribitur. verum hanc rationem à Medicis non probari, ait, Cornel. l. c. quin imò causam huius disparitatis esse, voluntatem, & beneplacitum Dei qui in partu maris statuit 40. dies purificationis, in fęminę octoginta: & si aliqua ratio Physica potest huius legis assignari, non illa est, quià mares formentur quadraginta diebus, fęminę 80. sed quià, vt ait Vallesius *de Sacra Philosophia c.* 18. post partum duplex est purgatio, prima sanguinis copiosè fluentis, quæ parientibus

tibus

tibus mares ad septem dies, fęminam verò ad 14. fieri contingit: secundo excrementorum verò aliorum cum quadam mixturà sanguinis: quæ parientibus masculum, vsque ad 40. diem, fęminam verò vsque ad 80. contingit. quæ expositio consonat Sacræ Scripturæ, neq; enim ibi dicitur vt Puerpera manat ab alias separata, iuxtà dies formationis fętus, *sed iuxtà ritum fluxus menstrui.* quid igititur mirum, si eo tempore Dominus puerperas tanquam immundas, à templi aditu reiecit?

10. Quarè cum tàm leuibus fundamentis hæc opinio subnixà sit, iàm satis opertè perspicitur quę nàm fides eam adstruentibus sit adhibēda. quid enim, obsecrò, tàm audax, quam ea quæ teste Propheta Dñus *Fecit in occulto, & in inferioribus terræ*: quæque clarissimi Medicorum & diligentissimi tanto dissidio tradiderunt, vt alij primo die à conceptu animari fętus; alij 3. alij 30; alij 35, alij 40; alij 45; alij 50, alij; alijs diebus arbitrati fuerint, ea, inquam, velle fixo & immobili termino definire, vt mares non nisi 40. die, fęminas 80. formare & animare naturam ità necesse sit, vt eos fines non liceat transilire?

11. Nam, quandò hanc rem agimus, præscribendo hos terminos 40. & 80. dierum vel loquuntur Autores de formatione membrorum, & hæc est incerta; quià cum formatio pendeat ex maiore vel minore calore seminis, ex vinidiore virtutis formatricis robore, ex vigore matrum, tam varia erunt tēpora formationis, quam diuersa huiusmodi quæ requiruntur: & hinc sine dubio orta est ea Medicorum diuersitas in assignādis terminis formationis: etenim iuxta diuersas affectiones seminis, virtutis formatricis, & matrum, diuersę etiam fuerunt experientię; quarè sinè ratione hic terminus adeò fixus constituitur. Vel intelligere voluerunt de Animatione, & hæc non minus est incerta; vt patet ex Medicorum opinionibus, nec ea pendet à formatione, vt etiam notauit Io: Lorin. *in c. 12. Leuitici.* vndè etiam ex hoc capite non bene assignantur hæc confinia tam inuiolabilia.

12. Igitur *collabitur contra ictum fluuij*, & communem opinionem, tot Scriptorum autoritate firmatam labefactare tentabimus? haud equidem tantum mihi sumo, vt tot Sapientium iudicium nō anteferam meo. Sed cum ex dictis nec verum nec verisimile sit, eos voluisse aut formationi aut animationi eos terminos præfigere, superest dicendum, vt tantùm illos dies obseruandos consuerint, quantum spectat ad pęnam homicidij incurrendam, ad Irregularitatem, ad Reseruationem casuum. Cum enim tot essent & tam dispares Medicorum de Animatione sententię, nec dubitaretur apud quequā quod formatum est, animatum non esse: & certum esset nullum adeò tardū esse fętum quin masculus intrà diem 40. si femineus intrà 80. non sit efformatus, indè posuerunt hos terminos, quos qui conuellere niteretur, profectò misceret & perturbaret omnia. quarè ex hac positione Doctorum, Mas formatur dieb. 40 fęmina 80. eo sensu intellecta non potest inferri, hæc, igitur non antè formatur, nec antè animatur, sed hęc, Igitur qui antè hos dies fęminam abigere partus coegerit, non erit puniendus vt homicida, non incurret Irregularitatem, vel Casus reseruationem.

13. At verò opinione P. Florentinij Theologiam non perturbari, vt aiebat Caramuel de opinione Fieni indè patet, quià fora & Tribunalia Iudicum à consuetà Iudicandi formà recedere nō debēt, vt accideret si in externo foro reciperetur opinio Fieni, vel alia similis, sed tantùm imperitarum obstetricum abusus est corrigendus, & saluti animarum consulendum, quod non est perturbare Theologiam Moralem, sed vt ipse Caramuel ad cęlum extollens opinionem P. Florentinij vt cernere est in epist. Operi P. Florentinij præfixa, illam; *exornare, & Limbo aut etiam Inferno bellum inferre.*

14 Cum

14 Cum ergo hæc ità se habeant, & illa distinctio 40. vel 80. dierum à nullo Medicorum alteratur, & tantum in externo foro quod ad pœnas attinet robur habeat, in tantà varietate opinionum circa prolis animationem, indignabitur D. Vigilantius, si tot animarum saluti consuletur & in gratiam falsi Aristotelis, aut Auicennæ, impiâ manu eas detrudet in Limbum, aut etiam in Infernum, cum de pueris sine Baptismo morientibus nihil certi adhuc statuerit Ecclesia? Præsertim cum hæc praxis non baptizandi abortiuos, quam pompaticis verbis, ait, D. Vigilantius *à tota militanti Ecclesia, à toto terrarum Orbe conclamari*, hactenus Physicorum autoritati subnixa sit, vt ipse D. Vigilantius adducendo Aristotelem, & Auicennam ostendit: cum multi alij qui subtilius res naturales examinarunt, aliter opinati sint, cur si Physicorũ opiniones valent in animarum detrimentum, eadem nullum robur habebunt, in earumdem salutem? num fortasse D. Vigilantius audebit asserere, melius esse animas in Aristotelis aut Auicennę gratiam perdere, quam in Fieni, aut Zacchię aut alterius Medici seruare? quarè cum D. Vigilantius ab aliquo consuletur, qui pregnantem abortum facere coegerit, interroget, an corpus esset formatum, & si neget, ab Irregularitatis pœnâ cum suo Gomezio immunem pronunciet: at si illum mulier adeat & aliquot dierum conceptum per abortum effusum à se non baptizatum exponat, eam increpet, & non rursus in eundem errorem incidat seriò moneat, alioquin in die Iudicij testem in caput suum comparauerit, & crudelitatis suæ graues & iustas pœnas pendet ei qui omnibus inclamauit, *Sinite paruulos venire ad me.*

15 Iam verò quod ad praxim attinet, quam *à totà militanti Ecclesià dicit Dominus Vigilantius conclamari*; vt scilicet abortiui non nisi post 40. diem si masculi, & post 80. si foeminę baptizentur, In primis respondeo neminem hactenus fuisse tam crudelem, vt hos terminos censeret expectandos ad animarum periclitantium in miseris paruulis saluti ope ferendâ. nam ipsi qui negant animâ infundi inter primos dies à conceptione, tamen post diem trigesimum tàm mares, quam fęminas censent baptizandas, vt testatur ipse P. Florentinius sect. 4. n. 7. & 9. vndè non satis mirari possum, te tantam inuidiam tuo nomini conflare voluisse, vt primus sæuissimę, & perdendis animabus excogitatę sententię autor fieri velles: & spem eorum ità frustrari qui te respiciebant tanquam *protectorem, & locum munitum vt saluos eos faceres*; vt perditionem suam vni tibi imputare deberent. Deindè, hanc quam vocas praxim, potius veriore vocabulo appellandam cum Caramuele, in epistolâ Syntagmati P. Florentinij præfixâ, *ignorantiam scrupulosam*. quam non sine iniuriâ adscribis Ecclesiæ, ipsa enim quantum in ea fuit, huic pusillorum gregi consuluit, vt ostendit P. Florentinius Sect. vltimâ: vt non propterea sit adscribenda illi praxis, si imperitarum mulierculanum quæ puerperijs interesse solent, aliter obtinuerit vsus à pię matris sensu. nisi si apud Dominum Vigilantiũ censentur Ecclesia Militans, obstetricantiũ aniculanũ greges imperiti.

16 Quin potius Ecclesia fauet eorum opinioni qui existimant aduenire animam primis diebus à conceptu; cum ab antiquis temporibus Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem octaua Decembris, hoc est inter ipsa primorum dierum initia celebrauerit: probans nimirum, inter ipsa Conceptionis initia primis sanguinibus infundi animam, non esse vero absimile. Magisque confirmatur ex eo, quod cum nouissimè à quibusdam minus probaretur dies huius Solemnitatis, eo quod non potuerit esse idem Animationis qui & Conceptionis dies, SS. D. N. Alexander VII. priuatæ vocis Oraculo vsus est testimonio P. Florentinij. vt ostenderet non esse improbabile animam infundi primis diebus Conceptionis, vt ex fide dignissimis accepimus

mus: vndè, additâ etiam opinione Clarissimi Medici Zacchiæ qui nouissimè libellum edidit, quo probat animam infundi ipso die Conceptionis, nihil in eius Festi celebritate immutatum est. Quanti autem Maximus idem ac Sapientissimus Pontifex opinionem P. Florentinij fecerit, testes sunt, qui priuatis eius colloquijs interfuerunt, omni exceptione maiores. testis Sacra Eminentissimorum Patrum Congregatio ab eo instituta ad hunc articulum examinandum, & in praxim inducendum. quarè speramus propediem nos visuros, aliâ à D. Vigilantij mente, veterem illam ac imperitam praxim, non modò funebri ritu *conclamatam*, sed etiam sepultam.

17. Ad hanc igitur praxim, verius errorem, confirmandam, ait D. Vigilantius se vsum esse testimonio Augustini, *in Cap. Moyses*, qui damnat tanquam hæreticos eos qui asserebant animam infundi corpori dum seminatur: cum hæc sententia sacro textui aduersetur *Genesi 2.* dicenti, *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ &c.* quibus verbis videtur indicari prius à Deo formatum fuisse & in membra distinctum humanum corpus, ac deindè, animam illi infusam; vndè, cum id in primo homine contigerit, exemplum capiendum est, quid in fętibus accidat, cum Adę creatio fuerit humanæ generationis exemplar.

18 Verùm, D. Vigilantius videtur in primis admodum similis ijs, qui rapti impetu fluminis, quicquid obuium se offert, auidè arripiunt, etiam fragiles ramos & manum secuturas stipulas amplectentes: putat enim se viridē Augustini ramum apprehendisse, & aridam hæretici hominis stipulam tenet, vt infrà constabit. deindè malè vtitur illo Autore in P. Florentinium: nam ille damnat hæresis eos qui volebant animas ex traduce propagari: quid antē simile in P. Florentinio D. Vigilantius, potest somniare? tertiò denique fallitur apertissimè, cum putat nobis suo illo plasticę statuę luto os ità obstruxisse, vt nec aduersus eum mutire possimus. nàm in primis respondeo, vt respondit ipse Pater Florentinius in publica disputatione, statuam illam primi hominis effictam tantummodò & delineatam rudi quadam ratione quo ad externam formam, non verò quo ad internam, magis homini propriam, quæ adueniente animâ per Dei inspirationem, effecta est. quas rudes lineas si obstinatè in humano foetu requiras, non inuitè P. Florentinius concedet, cum huiusmodi conformatio imperfecta multò antè diem trigesimum à conceptu contingat vt ipse notauit Sect. 10. parte 2. n. 10. Secundò, & fortasse solidius, respondeo cum S. Thoma, Suarez, Pererio & alijs, nequaquam præcessisse hanc plasticam formam; sed eodem temporis momento, animam corpori concreatam. quod autem D. Vigilantius in mentem nobis reuocat, nempè standum esse Patrum explicationi, id & nos vltrò fatemur: tamen Chrysostomo, Tertulliano & alijs qui senserunt Adę corpus ante animę infusionem efformatum, opponimus Gregorium Nyssenum, Ioannem Damascenum, Thomam, & Scholam Theologorum & inuicem monemus D. Vigilantium, ne si quid inter legendum SS. Patres declamatoriè ab ijs & exercendę eloquentię causa, aut diuinę bonitatis humanis mentibus ingerendæ scriptum inueniat, id statim tanquam fidei oraculum alijs interet sciimus enim quid intersit inter ea, quæ Patres concionando asserunt, & quæ, vt ità loquar, dogmatizando.

Suarez de Opere sex dierum l. 3. c. 1. n. 13.

Vide Pererium l. 4. in Genes. q. 4.

19 Quassat caput D. Vigilantius, & digito refragatur; atque in faciem nobis faciei definitionem, tanquam alapam impingit. nam Scriptura dicit *in faciem, facies autem est pars capitis humani anterior, constans ex fronte, oculis, naso, malis, ore, & mento* igitur cui superest locus dubitandi, vtrum plastica illa effigies, huiusmodi partibus constiterit? Papè! mi homo, quantas tibi

habe-

habebimus gratias, siquidem vbicumque Scriptura faciem dicit, hæc intelligenda sunt, si & abyssi nasum, & mentum terræ nobis ostenderis. nam vtriusque faciem in Scripturis legimus. & fortasse quoniam ingeniosus es, & perspicax, non admodum laborabis. dices putò planitiem esse frontem terrarum, montes in nasum attolli, gemmas velut oculos fulgere: tumuli clementiores erunt instar malarum, & si voles, etiam graminibus quasi lanugine pubescentium. quercus hibernis onustæ niuibus tanquam aliquem benè barbatum ostendent

cui plurima mento
Canities inculta iacet.

fortasse etiam cum Stoicis consenties, & maris æstbum ex flatu reflatuq; Naturium mundi fieri existimabis.

20 At Adæ creatio exemplar fuit humanæ generationis. Iam dudum gestiunt mihi manus, & vix ægrè me contineo quia sandalio Caput illud commitigem, quod nobis facessit totum hoc negotium. sed adhuc ad modicum eas abstineamus. Fac igitur Adæ corpus ità vt vis efformatum cum tuo illo Capite Moyses, quandoquidem Adæ opificium in exemplar nascituræ posteritatis positum est, debebunt tibi admodum figuli si eos à tegulis & imbricibus & coctilis laterculi operibus, ad nobiliora traduxeris. vt enim omnia ad exemplum Adæ constent, homulos ex luto & argillâ in posterum confingant, & Dei spiritum vt in eorum faciem spiret inuocent. foeminea corpora ex dormientium Marium costulis in Euæ similitudinem ædificentur, & terrarum Orbis sit ad instar Paradisi, in quo *neque nubent, neque nubentur, sed erunt omnes sicut Angeli Dei.* Cum igitur, in generatione hominum tot tantàque ab illa Adæ formatione discrepent, quis, quamuis corpus Adæ antè animam efformatum concederemus (quod iam negauimus) euincere poterit, vt id in pesterorum corporibus concedamus? Nec vrgeat D. Vigilantius cum auctore *Cap. Moyses* prius domum ædificandam, ac deindè inducendum habitatorem: quia Moderni Medici inuenerunt Animas dedisse operam Vitrubio, & Architectonicè tam subaliter didicisse, vt ipse per se absque vllo fabrorum aut Operarum ministerio domum sibi posset construere; interdum rustico vel Thuscanico, interdum Corinthio vel Ionico ordine qui politiores sunt & elegantiores.

21 Instat adhuc D. Vigilantius, & Marsilium Ficinum, virum sanè magni nominis pro se aduocat, animam in punctum cordis infundi asserentem. In primis; quis tibi D. Vigilanti, negauit esse nonnullos, qui asserant animam infundi corpori iam formato? inter hos si concedamus esse Marsilium, non proindè quicquam profecerit D. Vigilantius. nec enim quærimus an omnes consentiant in vnicam opinionem; sed cum sit inter Medicos & Philosophos controuersia de tempore animationis, an sententia P. Florentinij sit probabilis. deinde, fortasse etiam Marsilius potest intelligi de puncto saliente, quod non requirit corpus iam formatum. de quo ipse P. Florentinius in suo Syntagmati.

22 Sed rursus crambem nobis recoquit, iterumque iterumque eandem nobis recinit cantilenam, & obtundit nos cum suo illo Capite Moyses D. Vigilantius, quod Caput, quià ità meritum est, tandem fuste elidamus, ità vt sanie & atro, hoc est hæretico sanguine terram commaculet.

23 Iactabit se hoc loco D. Vigilantius, & frontem, nos perfricuisse proclamabit, qui venerabilem Gratiani autoritatem conuellere nitamur, qui tanquam Augustini, adducit *C. Moyses*: volitabit etiam cum pennetto super pennas ventorum: sed sinamus agitantem agitare, & rem nostram persequamur.

 24 Dico

24 Dico igitur librum Quæstionum Veteris & Noui Testamenti ex quo desumptum est *C. Moyses* non esse Augustini, sed esse alicuius autoris Hæretici, aut etiam interdum ridiculi. Ità sentiunt Bellarminus *De Script. Eccles.* & Louanienses in Censurâ OperumS. Augustini. quę vbi tàm apertè demonstrauero, vt D. Vigilantius nec saltem tergiuersari possit, tunc eius argumentis in contrarium allatis satisfaciam: & spero fore vt D. Vigilantium potius loquutum esse, quam tacuisse poeniteat.

25 Probatur prima pars Assertonis. quia Regula Operum legitimorum S. Augustini sunt Retractationes ipsius, quibus acerrimâ & subtilissimâ, ac penè scrupulosâ censurâ magnus ille ac S. Doctor Scripta sua notauit: & Indiculus eorumdem à Possidio eius discipulo contextus: sed nec in Retractationibus, nec in Indice Possidij habetur iste liber, igitur aut nō est habendus pro libro Augustini, aut ad minus de eo vehementer dubitandum.

26 Secundò arguit Bellarminus hunc librum non esse S. Augustini ex temporum supputatione. nam, cum hic Autor quæst. 44. dicat ab excidio Hierosolymorum vsque ad sua tempora fluxisse annos 300, necesse est, vt videri potest ex computo Bellarmini Augustinum hæc scripsisse dum ageret annū decimum sextum: sed Augustinus non cępit scribere libros Ecclesiasticos nisi post Baptismum, aut circà Baptismum iam Cathecumenus; igitur hic liber non est conscriptus ab Augustinuo. nam anno trigesimo ad huc hærebat in luto vt ipse fatetur.

27 Tertiò arguunt Louanienses hunc librum non esse Augustini, ex eadē temporum ratione: nam quæstione 116. dicit Autor illius libri se eam quæstionem Romæ scripsisse: at Augustinus post Baptismum Romam non est reuersus; igitur hic liber non est Augustini sed alterius. Verum hæc ratio non probat in hoc enim Clapsi sunt Louanienses, existimando Augustinum post Baptismum Romæ non fuisse. cuius contrarium ostenditur ex ipso Aug. L. 1. Retract. cap. 7.

28 Secundam assertionis partem ità ostendo. Quoniam Dominus in Euangelio dixit *Arbores ex fructibus cognoscendas*, vbi viderimus quos nam fructus hæc arbor pariat, tunc statuemus, an inter *bonas, & plantatas secus decursus aquarum*; an verò inter *autumnales, eradicatas, & bis mortuas* sit numeranda. Autor igitur huius libri, vt notat Bellarminus, dicit *q. 2.* Mundum factum esse propter Diaboli præsumptionem. *q. 3.* dicit paruulos qui vnà perierunt cum Parentibus in subuersione Sodomæ, liberos esse à Gehennâ. *q. 21.* dicit mulierem non esse creatam ad imaginem Dei. *q. 43.* dicit Iephte nullum habere testimonium Iustitiæ, quod est contrà Apostolum scribentem *ad Hebræos. q. 80.* dicit homines non nasci filios Diaboli. *q. 109.* dicit Melchisedech esse Spiritum Sanctum, & Sacerdotem, sed non summū; vt in oblatione præsumunt Antistites, quibus verbis carpit Canonem Missæ. Alios errores, enumerant Louanienses; inter quos, ille est capitalis, B. Virginem in triduo mortis Christi, à fide defecisse. Rogo te D. Vigilanti, cuius nam arboris sunt isti fructus? nonne illius ad cuius *radicem iam securis posita est*, & in quam magnus pater familias clamat, *succide illam.* nisi fortè solus D. Vigilantius, vt reuincat Euangelium *colligit de spinis vuas, & de tribulis ficus.*

29 D. Vigilantius omisso hoc argumento & alijs quæ solidissima sunt, arripit tantummodo Bellarminum tanquam malè rationes colligentem, & *creber vtraque manu pulsat versatque.* quà in re, mihi videtur admodum similis ijs qui acceptum in pectore vulnus negligunt, & diligenti manu reduuiam curant. & vt aliquid iocemur, affinis est illi, qui à quodam incusatus cur eius argentariam productâ penultimâ sustulisset: respondit non argentariam, sed

argen-

argentariam correptâ syllaba iuxtà Latinorum regulas esse pronunciandam: sic, in quam, mihi videtur D. Vigilantius argui de furto, & respondere de syllabâ. dicit igitur: *Arguit Bellarminus esse autoris Hæretici, sed Bellarminus ipse non rectè supputat, igitur si falsa temporum relatio hæreticum argueret supputantem, quid de ipso Bellarmino esset sentiendum*. Respondeo D. Vigilantium, calumniam Bellarmino affingere: nam Bellarminus non ex supputatione librum esse autoris Hæretici arguit, sed ex multis erroribus quos retulimus: ex supputatione verò dicit colligi librum esse *Autoris antiquioris Augustino*.

30 Quod autem autoritate Pennotti subnixus Bellarminum tanquam malè subducentem rationes arguis, ne putes quandò dicis Pennottum te dicere quintum aliquem Euangelistam, cuius asiertis sit cum Augustino intonandum *Credo ergo*. nam Bellarminus sequutus est autoritatem S. Prosperi qui fuit Augustini discipulus, & fortasse de S. Patre plus aliquid scire potuit quã Pennottus. sed illi credamus tamen ratio in sua firmitate consistit, quia inter supputationem Pennotti & Bellarmini tantum interest annorum duorum discrimen. quarè cum Augustinus Ecclesiasticos libros non nisi aut trigesimo aut circà trigesimum scribere cœperit; vel cum facias annorum sexdecim, vel decem & octo, versa & reuersa hic liber non erit Augustini. nam si autor illarum quæstionum scribebat annò trecentesimo ab excidio Hierusalem, tunc Augustinus vel erat annorum sexdecim, vt computat Bellarminus, vel decem & octo, vt computat Pennottus.

31 Secundum argumentum D. Vigilantij non est præcedenti firmius; dicit enim; *Sed rem intimius indagando, dico, hoc Caput Moyses est idem, & in idem prorsus resonat ac præcedens Caput Quod verò, sed de hoc non dubitatur à Bellarmino, ergo nec de illo dubitare debet*. Hoc ne est D. Vigilanti rem intimius indagare, in tam manifestos errores impingere? si cum intimè indagas tam longè aberras à verò, licet conijcere quid facturus sis quandò otioso animo & aliud agens inquires. *si enim lumen tenebræ sunt ipsæ tenebræ quātæ erūt?*

32 Respondeo igitur ei qui aures habet purgatas non idem sonare Caput *Quod verò*, & *Caput Moyses*. nam primum sonat in cymbalis benè sonantibus, secundum verò in cymbalis malè sonantibus. nisi si apud D. Vigilantium idē sit dubitare de tempore animationis quod facit Augustinus in *Caput Quod verò*: & certò asserere non nisi post formatum corpus animam aduenire, quod facit Autor *C. Moyses*. Deindè, dico, non dubitatur de *C. Quod verò*, concedo consequentiam, ergo nec de *C. Moises*, & id nego, & pernego. nam in hoc erras bene vir, quod confundis Quæstiones Augustini in Heptateuchum, & Quæstiones Veteris & noui Testamenti, & putas vtrumque Caput, ex eodem libro decerptum; sed non est ità. etenim *Caput Quod verò* desumptum est ex *libro secundum QQ. in Heptateuchum, quæst. octogesimâ*: quem librum agnoscit tanquam suum ipse Augustinus l. 2. c. 55. Retract. At verò *Quæstiones Veteris & noui Testamenti* longè diuersæ sunt, ex quarum *quæstione 23.* desumptum est à Gratiano *C. Moyses*. vndè non benè infertur, non dubitatur de primo; igitur nec de secundo. hoc enim idem esset ac dicere, non dubitatur Philippum IV. esse Regem Hispaniæ; ergo nec dubitandum, esse Regem Galliæ. hoc enim, vt aiunt, esset Hispaniam & Galliam sursum deorsũ agere.

33 At, quid, obsecro, respondebimus D. Vigilantio afferenti venerabilem Gratiani fidem, & Bullam Gregorij XIII, editionem Decreti approbantis? num mutire, aut hiscere audebimus aduersus Pontificia diplomata, & ausu temerario *os nostrum in Cælum ponere?* Do manus, mi Domine, fateor vicisti, iunge equos albos, & triumpha. sed antè quam currum inscendas,

Veritas inijcit tibi manum, & paulisper cogit resistere. Dico igitur, Gratianum fuisse virum, de vniuersa Ecclesiâ benemeritum, sed vt ait Card. Baronius T. 9. Anno 774. interdum *nimis credulum, & improuidum*, vt qui indiscretè probata fallis admiscuerit, & vt vulgo fertur, ex omni horbarum genere manipulum collegerit. vndè multos errores in eo contineri asserunt idē Baronius, Bellarminus *de Scrips. Eccl.* Barbosa in *Proemio Decreti n. 8.* & nouissimè Illustris. D. Prosper Fagnanus in *Cap. Canonum de Constit. n. 37. 38. & 39.* & vt ex multis aliquos enumerem, *Distinct. 63. C. Adrian. & C. in Synodo*, affert duos illos Canones insigni imposturâ à Sigeberto Schismatico cōfutat, vt euidenter probat Baronius, *l. c. ad Annum 3. Adriani I.* & *Causâ 22. Cap. Nec artificiose*, adducit Augustinū *lib. de Conflictu virtutum & vitiorum c. 19.* & Autor illius libelli commemorat Regulam S. Benedicti, qui fuit centum annis Augustino posterior. videat lector reliquos apud Bellarminum. *V. Gratianus.* quid igitur mirum, si etiam errauit existimando C. Moyses fuisse Augustini; quod re verà non est?

34 Ità, inquit, D. Vigilantius: sed post quàm Decretum repurgatum est à viris Doctis iussu Gregorij XIII. non licet asserere in Gratiano errorem aliquem reliquum fuisse: nam hoc esset os suum in Cęlum ponere, & linguà dolosà reprobare quod Christus Domini approbauit. Verum facilè est ab huiusmodi tricis se expedire. Dico igitur duo præcipua contineri in diplomate Gregorij XIII, primum; fuisse Decretum Gratiani iussu suo repurgatum, non proptereà ex Cathedrà definit Pontifex nullum errorem in Decreto remansisse. præsertim cum difficile fuerit in copiosà vindemià raccmum aliquē non præterire. secundùm, quo certis impressoribus Decretum typis mandādum committit. Posuit ergo in Cęlum os suum Cardinalis Bellarminus, posuit Card. Baronius, posuerunt tot alij, qui post Decretum iussu Gregorij recognitum, tamen Canones illos falsitatis arguerunt nisi si D. Vigilantius hanc stoliditatem in Summis Pontificibus, & Synodis fuisse contendit, vt ius eligendi Romanum Pontificem Imperatoribus tribuisse velit, vt cernitur in Cap. Adrianus & Cap. in Sinodo. aut Bullæ Gregorianę hanc facultatem tribuit, retroagendi sæcula, & Benedictum antiquiorem aut supparem Augustino faciendi.

35 Cum igitur huiusmodi errores post repurgatum Decretum in Gratiano legantur, tamen D. Vigilantius obfirmabit faciem suam contra veritatem & in Solem conuicia iactabit: & cum videat ab Emendatoribus hæc errata prætermissa, tamen quod factum manu tenet, fieri non posse audebit affirmare? & non verebitur ne quisquam illi suas voces regerat, cum qui talia dicat, *non minus loqui temerè, quam nulliter*?

36 Instat rursus D. Vigilantius, & conciliare nititur fidem dilectissimo sibi Capiti, cuius tanto amore captus est, vt fortasse etiam Euangelio repugnante ne per caput iuremus, auderet dicere *Per Caput hoc iuro*; fidem, inquam, illi conciliare nititur Censurà Theologorum Louaniensium, *quam Ioannes Molanus diligenter adeò elaboratam fatetur, vt ad illam perficiendam,* (Deus immortalis, quemadmodum verum est, Vulpem suo capi laqueo!) *plusquam ducentea vetusta Mss. ex varijs Bibliothecis conquisita in vsum venerint. vbi reijciunt quidem tanquam apocryphos, adulterinos, indignos, hæresibus scatentes Sermones ad Eremitas, at de C. Quod verò, & de C. Moyses ex QQ. D. Augustini in Vet. & No. Test. ne verbum quidem in contrarium.* Hæc D. Vigilantius. qui in primis si nouisset *Sermone 25 ad Eremitas* haberi literis quadraris animam infundi corpori iam formato post dies 47, profectò illos tantis conuicijs non onerasset. sed quandò ipse viam sibi præclusit ne in nos eo te stimonio vti posset, reliqua examinemus.

37 Igi-

37 Igitur, *de C. Quod verò. & C. Moyses, ne verbum quidem in contrarium Louanienses.* Dic iterum quæso, D. Vigilanti, *ne verbum quidem.* Erumpe veritas, & luce tuâ te ipsam demonstra, quæ vt ait Tertullianus, nil aliud erubescis nisi latere. loquantur ipsi Louanienses, & aduersus impositam sibi calumniam ore suo se tueantur. *Harum quæstionum stylus* (sic illi in Censurâ QQ. Vet. & Noui Test. edit. Parisiensis Ann. 1651. pag. mihi 426.) *constat Augustini non esse: res verò ipsa, ratio que tractandi Augustino indigna.* hoc est ne, Domine, *ne verbum quidem?* deindè enumerant 26. errores in his QQ. contentos. & vt videat D. Vigilantius, quam alto somno hic indormierit, in censura Q. 2. dicunt, *ponit rationem friuolam. q. 13. nihil habet Augustino simile. q. 22. imperitè tractatur. q. 23. ridiculè addit animam quia spiritus est, in sicco habitare non posse.* ex quâ Quæstione desumptum est illud tam celebre, tam vulgatum, tam D. Vigilantio per fas & nefas dilectum Caput Moyses. q. 27. *ridiculis rationibus confirmans. q. 43. contra Apostolum ab Hebreos scribentem. q. 48. loquitur more Arianorum de filio Dei.* denique concludunt hunc librum *plura habere ab Augustino & veritate aliena.* hoc ne, est D. Vigilanti, *ne verbum quidem in contrarium?* Igitur editio illa tantâ diligentiâ elaborata, tantâ curâ instructa, ducenta illa Mss. tanta sollicitudine conquisita ex totius Christiani Orbis Bibliothecis, in D. Vigilantium dicunt sententiam, & suo illum ore iudicant.

38 Quod autem subijcit D. Vigilantius de admissâ à P. Florentinio Glossâ in C. Moyses ad illam rationem *Animam quia spiritus est, in sicco habitare non posse*, quam Louanienses appellant ridiculam, facilè euertitur. primò dicendo P. Florentinium nequaquam eam Glossam probasse, sed ad lętitiam Opusculo suo inseruisse. deinde non benè inferri, licèt eam probasset, probauit Glossam dum ridet, ergo & dum seriò loquitur probare debet: sed dum seriò loquitur admittit C. Moyses tanquam Augustini, aut vtrobique Glossa admittenda, aut nullibi: non, inquam, hoc benè infertur. nam sic et interdum arrideamus D. Vigilantio, dum vt est vrbanissimus, more suo iocatur, non ideò sequitur, vt eundem seriò agentem probare debeamus potest enim iocari benè, & perperam seriò agere.

39 *Quale autem iudicium fieri debeat de libello P. Florentinij ad Catholicos ritus ostentandos, dicis indè posse argui quod Theologi Louanienses, teste Beyerlinch non accesserint sententiæ Thomæ Fieni, quæ parum abludit à sententiâ D. Florentinij, ob multa incommoda.* Fortasse Louanienses Theologi podagrâ laborabant, idcirco propter incommodum accedere non potuerunt. sed inuenti sunt Theologi qui non adeò commoditati studuerunt, ac proindè pedibus in sententiam iuerunt P. Florentinij. sed risus iocosque mittamus. En quo tandem reciderunt laudes illæ, quibus initio opusculi tui P. Florentinium onerasti vocans eum, *Virum pietate & eruditione celeberrimum, eius literariam peritiam rimandam & mirandam proclamans* Vir ille, iudicio tuo antè tam pius & celebris, modò eodem iudicio vix inter Catholicos numerandus, paulò post etiam impurus & ridiculus. ô constantiam singularem! & vt schemate tuo te laudem, *rimandam & mirandam!* planè, mi Domine, Scorpionum humanitate blandiris, quibus, in brachijs amplexus, in caudâ venenum. Dico igitur primò, contrà autoritatem Beyerlinch, Theologos Louanienses, teste Caramuele in Theol. Fundam. n. 1622, non repudiasse sententiam Thomę Fieni, sed eam prælegi, ad defendi permisisse. itàquè, quoad hoc pares sumus. Deindè, assero, diuersam esse sententiam Thomæ Fieni à sententiâ P. Florentinij, & eas tam *abludere*, quam ij qui tesseris & Fritillo, & qui pilâ ludunt. lege attentè Syntagma P. Florentinij, & eius opi-

nionem

nionem edisce. est enim hæc, vt opinor, *Cum sit ex Medicorum placitis incertum tempus animationis, abortus baptizandi sunt, saltem sub conditione, ne si forte viuant, ex ponantur periculo damnationis æternæ.* neque enim P. Florentinius definit vt Thomas Fienus, die tertio à conceptu, foetum viuere.

40 Iudicium verò de libro P. Florentinij à te, mi Domine non expectamus. Expectamus à celebrioribus Christiani Orbis Academijs, Louaniensi, Parisiensi, Salmaticensi, & alijs quibus trasmissus est. expectamus à Sacrà Congregatione Eminentissimorum Patrum, quibus ea cura demandata est à SS. D. N. Alexandro VII. expectamus ab eodem Summo Pontifice, qui priuatæ vocis oraculis iam commendauit. vt, non sinè inconsulti animi, ne quid grauius dicam, notà, D. Vigilantius sententiam suàm voluntariè præcipitauerit, pendente apud tantos Iudices lite.

41 Non placet D. Vigilantio opinio P. Florentinij. At placuit Ioanni Caramueli nostri Sæculi Pico. placuit Michaeli ab Alcantarà viro famà & doctrinà celebri. placuit Hilarioni Rancatę in Curia Romanà notissimo. placuit P. Casilio, & alijs Patribus è Societate Iesu. placuit alijs Theologis Religiosarum Congregationum: vt vna ex parte hoc Consilio ferente sententiam, singulare ex alterà parte D. Vigilantij ab Arce suffragium timere non debeamus. Sufficit nobis si ad tantorum virorum sanum gustum sic hæc opinio: facilè patimur si non placet D. Vigilantio, stomachi solutioris, & cuius delicato nimium palato nihil sapiat, nisi conditum *Iure diuino.*

42 At, ecce tibi iterum *Caput Moyses* in scenam, quod tanquam serpens, quem

Seminecem saxo liquit, lacerumque viator,

tamen clauda membra retentat, seque plicat in nodos. attollens ardentes oculos, & colla sibilantia. sed iam minatur impunè &, puto, D. Vigilantius, non vlterà responsum desiderabit. quarè, Hæretici autoritate, tam sæpè, tam libenter vtens, desinat alium Hæreseos incusare. aut saltem prius vellet diligenter, & intelligat opinionem P. Florentinij, ad deinde arguat. quando enim P. Florentinius dixit Animam infundi corpori dum seminatur? vel ex traduce propagari. similis es pueris, mi Domine, qui ex insidijs pannum alicui à tergo assuunt, deindè viciniam totam clamoribus concitant, & ludibrium quod ipsi fecerunt, derident.

43 Verùm, *Nihil innouetur.* ità clamat ex tripode D. Vigilantius, cui, quoniam ipse dixit, assentiamur. Quæso te, mi Domine, vtrum quod proferś, Mœcenatis consilium probes, nihil in Romanà superstitione innouandum fuisse? minimè, inquis. Igitur quotiescumque res mutantur in melius, & in salutem Animarum, ne sis tam diligens D. Vigilanti. Vita nouitates illas, quas Apostolus appellauit profanas.

44 Tandem hæc tua Disputatio ad calcem peruenit. *Quàm indecens inquis, quam turpe, quàm ridiculum, & vtinam tantum ridiculum, quotiescumque aliquid menstrua mistura effluit die noctumque, inquietandos Parochos, & Sanctissimum Baptismi Sacramentum in spurcam materiem effundendum?* dic quæso, D. Vigilanti, quæ muliercula est adeò rerum naturalium imperita, vt in effluxionibus foetum à cęteris purgamentis non distinguat, vt potè circumuolutum tunicis, & in oui figuram conformatum? vide P. Florentinij lect. prima. n. 11. deindè, dic vbi aut quandò P. Florentinius dixit spurcam materiem baptizandam? vbi Parochos inquietandos? num solus Baptismi minister est Parochus? Igitur D. Vigilantius, si huiusmodi animulam in sordido sanguine iacentem aspiceret, aliò, ne moueret stomachum crudeles conuerteret oculos, tanquam Sacerdos ille qui viso iacente præterijt: & non

potius

potius vitalem aquam infundens, amantissimis & pietate plenissimis vocibus cum Deo apud Prophetam illi diceretur, *Viue in sanguine tuo?* num, si quidem necessitas postularet, grauaretur D. Vigilantius vnâ noctis horâ nomine suo vti, ad salutem animæ afferendam, pro quâ Dei filius sanguinem fudit? Sed eum ab hoc curâ eximimus dormiat sanè in vtramque aurem si quandò erit Parochus, & sciat se de his causis non fore perturbandum.

45 Hæc breuitèr, certi in posterum silentium seruare, visum est respondere pro P. Florentinlo, imò pro veritate; ne D. Vigilantius fortè arbitretur se tantum habere dentes, quibus & liuorem & vulnus imprimat, & non esse resinam in Galaad, aut ibi non esse Medicum, qui curandi habeat scientiam. Fortibus plerumquè remedijs vsi sumus & austeris: interdum ad sanandam scripturientis manus pruriginem, salis affricationem adhibuimus. quod si, vt spero consequemur, magno ipsum, magno librarios, magno oculos nostros negotio liberauimus.

Martinus ab Holubernefo

Stampisi seruatis seruandis hac die 31. Augusti 1662. Pist.
Andreas de Franchis Vicarius Generali Substitutus.

Reuerendissimus Dñs Abbas Sancti Bartholomei huius Ciuitatis Sancti Officij Consultor videat si in hoc opere reperitur aliquod quid aduersetur fidei, Sacris Costitutionibus, ac bonis moribus & referat. Datum Pistorij ex Conuentu Sancti Francisci die 4. Septebris 1662. Fr. Franciscus Landus eiusdem Ciuitatis Sanctæ Inquisitionis Vicarius.

Ego D. Petrus Paulus Barghigianus Abbas S. Bartholomai Pistorij Consultor S. Officij de mand. Adm. Reuerdi Patris Francisci de Landis Vic. S. Officij d. Ciuitatis, vidi & diligenter perlegi opus quod inscribitur Martini ab Holuberneso: Responsio Apologetica pro sententia P. Hieronymi Florentinij de Baptismo Abortiuorum aduersus obiecta D. Vigilantij ab Arce; nihil que inueni, quod Fidei Catholicæ; aùt bonis moribus aduersetur; & per hoc tipis mandari posse censeo. In quorum fidem me propria manu subscripsi. Pist. hac die 15 Septembris 1662.

D. Petrus Paulus de Barghigianis Bargens.

Stante supradicta attestatione Imprimatur Pistorij die 15. Septembris 1662.
Fr. Franciscus Landus Vicarius S. Officij Pistorij.

Nicolaus Ghirlandi Minister Serenissimi M. Ducis Ætruriæ.